

## ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO  
AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

## RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Eñi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula :

## I — DE FIDELIUM ASSOCIATIONIBUS

D. An canon 692 ita intelligendus sit ut : *ad fruendum associationis iuribus, privilegiis, indulgentiis aliisque gratis spiritualibus*, necessaria quoque sint pia opera ad id legitime praescripta.

R. Affirmative.

## II — DE IURE FUNERANDI

D. An ad normam canonis 1216 § 1, collati cum canone 1226 § 1, sepulcrum maiorum in aliqua ecclesia constitutum habendum sit post Codicem tamquam legitima electio ecclesiae funerantis.

R. Negative.

## III — DE IURE ACCUSANDI MATRIMONIUM

D. An inhabilitas coniugis ad accusandum matrimonium, a canone 1971 § 1 n. 1 statuta, secumferat incapacitatem standi in iudicio, ita ut sententia vitio insanabilis nullitatis laboret iuxta canonem 1892 n. 2.

R. Negative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 4 Ianuarii, a. 1946.

Card. M. MASSIMI, *Praeses*

L. ✠ S.

I. Bruno, *Secretarius*.